

RER. MEMOR. LIB. I.

bus dubitandum disputat, omnium te
facilem acutissimum dicit, deinde velut
memor propositi subsequitur, & sine ullis
dubitacione doctissimum. Sanè quod ad
studiorum tuorū attinet vigilias, quam-
uis multa & varia dici possent, nihil tan-
men amplius dicam, quām quodd in eis-
dem Academicis, de te, vel potius tecum
loquēs Cicero: Sunt, inquit, vera ista Var-
ro. Nam nos in tanto orbe peregrinantes
errantesque tanquam hospites veraces,
tui libri quasi domum deduxerunt, ut
possemus aliquando, qui & ubi essemus
agnoscere. Tu ætatem patrī, tu descriptio-
nes temporū, tu sacrōrū iura, tu sacerdo-
tum, tu domesticā disciplinā, tu bellicā,
tu sedem regionū & locorū, tu omnia
diuinarum humanarumque rerum no-
mina, genera, officia, causas aperuisti. Plu-
rimum quidem Poëtis nostris omnino-
que Latinis, & literis & verbis luminis at-
tulisti, atque ipsum varium & elegans
omni ferè numero Poëma fecisti, Philo-
sophiamque multis locis inchoasti. Hæc
de M. Varrone, M. Cicero, quibus ego ni-
hil addiderim, nisi unum, quo eorum quæ
dicta sunt omnium crescat admiratio:
Hunc illum non scribendo modò sed le-

b. ij.